

casuum, ut sunt facultates dispensandi a sacrae ordinationis titulo pro definito ordinandorum numero.

33. Ex illis decretis concluditur: 1^o has facultates in posterum concedi *non intuitu personae sed officii, non Episcopo sed Ordinario loci*; 2^o nomine Ordinarii venire Episcopos, Vicarios et Praefatos Apostolicos, Vicarios Generales et Capitulares, Administratores, quibus omnibus competunt facultates spirituales a S. Sede Episcopis habitualiter concessae; 3^o has facultates non cessare per mortem Episcopi aut ejus aunctionem ab officio, sed transire ad alios Ordinarios, sicut facultas exequendi dispensationes matrimoniales, juxta decretum 20 Feb. 1888; 4^o Ordinarios locorum posse has facultates subdelegare vel modo generali, vel in casu particulari, modo id non prohibeatur, aut facultas subdelegandi non limitetur quibusdam personis, quo in ultimo casu, servanda est strictissime forma rescripti.

34. Supremus hujus Dominionis Princeps est hereticus qui relationes officiales non habet cum Sede Apostolica: ergo non est querendum an in hac regione habeantur concordata quorum articuli ad jus nationale referantur. Attamen religio catholica libere exercetur, et Ecclesia in pluribus majori pollet libertate quam apud quasdam pseudocatholicas gentes, quae nuntios habent apud Aulam Apostolicam.

Ecclesia Catholica vindicat suam libertatem ex pactis internationalibus quae intervenerunt quando haec regio Majori Britanniae fuit cessa. Hic utimur praelectionibus juris administrativi quas habuit in Universitate Lavallensi Clarissimus Professor L. P. Sirois.

Articulus VI capitulationis Quebecensis habet: "Que l'exercice de la religion catholique sera conservé, et que l'on donnera des snuegardes aux maisons ecclésiastiques de religieux et religieuses, ainsi qu'à M. l'évêque, qui pourra exercer librement les fonctions de son état."